



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 1. Per monstra aliquid significari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

ti; ne ex inopinata nouitate noceat, si quid subito aspexerint, vnde contrahat noxam fœtus. Mihi fœminæ prægnantes non tantùm admonendæ sunt, vt à Comœdijs, pugnis, imaginum curiositate abstineant; sed multò maximè etiam, ne ex fornicatione, adulterijs, incæstu, sacrilega cum cacodæmone consuetudine prægnantes fiant. Quid mirum, si sequitur segetem messis? Qui bonas fruges volunt legere, non debent facere malorum sementem. Tantum ergò abest, vt Deus sit ab istis arguendus, vt ipsi potiùs caussa sint suæ calamitatis, & quidem Physica ac naturalis; longè tamen frequentius caussæ morales intercurrunt.

## CAPVT VI.

*Prima moralis Monstrorum caussa, vt sint signa Dei, monere, aut sanare volentis.*

## §. I.

*Per Monstra aliquid significari.*



Deste ergò impatientiæ pupilli, qui naturæ legem dicitis, & in cælum os ponitis, atque arma in ipsos.



ipſos ſuperos mouetis, quando infantuli vobis adedò informes naſcuntur, vt non homines, ſed abominationes videantur: quibus etiam vulgò fertur, meliùs prouiſum fore, ſi in lucem numquã prodiiſſent. Siquidem, vt *monſtra* non monſtrant tantùm aliquid, ſed etiam ipſa monſtrantur, & velut *oſtenta* oſtenduntur, ſi qui velut Argi nimis oculi; aut tamquam Cyclopes vnoculi; aut, Iani inſtar, bifrontes; aut, ad Cerberi formam, tricipites; vel, vt Hecate, multiformes pariuntur. Putanturque hæc ingens parentum infamia, triftitia amicorum, propinquorum verecundia, naturæ deducus eſſe. *Regula eſt humane nature, vt omnis homo naſcatur duos oculos habens, & quinos digitos*, ait S. Chryſoſtomus (in Matth. 23. hom. 45.) *aliquando tamen vt manifeſtentur opera Dei, naſcitur homo aut ſex digitos habens, aut oculos omninò non habens.* Inter quæ opera eſt diuinæ vindictæ vel præſentis vel impendentis ſignificatio. Siquidem plerumque monſtra aliquid monſtrât, & portenta futurum aliquod malum vel bonum portentunt, (ipſo Cicerone dicente: *Prædictiones & præſenſiones rerum futurarum, quid aliud*

Cic. lib. 2.  
denat.  
Deor.

20191



aliud deelarant, nisi hominibus ea, qua futura sunt, portendi, prædici, ex quo illa, ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur? ) quando vel ipsi parentes in monstrosa prole, vel alij per alia prodigia instruuntur, vel plectuntur. Immò pœnam sæpe monstra & significant secuturam, & post se, aut secum ipsa non rarò trahunt. Sicut enim benignus Mundi Gubernator, per somnia, per oracula, per Prophetas; ita & per monstra aliaq; prodigia dat metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcus. Quin & improbos, & totas gentes præmonet de futura clade. Sic aiunt, tempore regis Xerxis, vulpem ex equa creatam, dissolutionem regni eius portendisse; tempore Alexandri, ex muliere monstrum natum, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit; inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes, significans repentinum regis interitum. Superuixerant enim deteriora melioribus. Et hæc quidem apud Ethnicos contigerunt, apud quos itidem neque reges; neque regna, sine diuino nutu, sunt punita. Ne pœna autem inexpectata esset, haud rarò eos monstra præmonuerunt. Quid quòd ipse ma-

Psal. 59. 6.

Vide plura exempla, apud Plin. l. 7. cap. 3.

O

lus



lus dæmon, vt est grauium malorum au-  
thor, ita nonnunquam etiam cogitur esse  
corundem vaticinator?

## §. II.

*Monstrum sub Polycriti forma vaticinans.*

Stroz. Ci-  
cogna in  
theatr.  
vniuers.  
nat. part.  
s. l. 3. c. 1.  
& ex eo  
Henric.  
Kornman-  
nus de  
mirac.  
mortuor.  
p. 4. c. 13.

Mirabile est, quod Strozius Cicogna re-  
fert de Spiritu incubo, qui Polycriti formâ,  
Ætolorum Princeps creatus esse, & iuuen-  
tam Locrensem uxorem duxisse, legitur, cum  
qua, tribus exactis maritali consuetudine no-  
ctibus, subito disparuit, grauidamq; uxorem  
reliquit, qua postea Hermaphroditum monstro-  
sum valde partum edidit. Mulieris parentes  
attoniti monstrum in forum detulerunt, ubi  
conuocato senatu, vocatisq; aruspibus, deli-  
beratum fuit, quid monstro illo faciendum es-  
set. Consuluerunt alij, vt partus flamma ab-  
oleretur; alij, vt mater cum partu Ætolo-  
rum finibus exigeretur. Heic Polycritus nigro  
vestitu amictus repente apparuit, & precibus  
primùm, deinde minis filium reposcit. Re-  
cusantibus Ætolis, in medium prosiluit, &  
infantem apprehensum totum deglutivit, ca-  
pite excepto, statimq; disparuit, Ætolis ingen-  
ti stupore percussis, & de legatis ad oraculum  
Delphicum mittendis consulentibus. Infantis  
caput in medio foro iacens loqui cœpit, & graui  
oratio-